AD CARDINALITIAM.

QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS DISPVTATIONIBVS AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXIII. FEBRVARII M. IOANNE RIOLAN DOCTORE MEDICO, ET PROFESSORE REGIO, MODERATORE.

An vrinæ inſpectio, certior quàm pondus, & deſtillatio?

NVLLVM eſt alimentum adeò ſimile, quod non habeat aliquid diſſimile: Id natura ſingulis coctionibus ſecernit, vtì purius & defæcatius partibus ſubminiſtretur. Indè prouentus triplicis coctionis excrementorum. Primæ quæ in ventriculo perficitur, excrementum ſtercus, ex putredine fœtens, in gracilibus inteſtinis à puro chylo ſegregatur; In craſſis ſub jecore, ventriculo, liene coaceruatur, vbi flatus ſæpiùs à calore generantur. Secundæ coctionis in hepate viparenchymatis, triplex ſanguinis purgamentum ſecernitur: Bilis ſubtilior ad vitæ diuturnitatem neceſſaria, in cyſti reconditur, Melancholicus humor per ramum ſplenicum ad lienem, alterum hæmatoſeos fontem defertur, Tertium vrina ad renes vndique corriuatur. Tertiæ coctionis duplex excrementum per inſenſilem tranſpirationem excernitur, ſordes, & ſudor, qui potius ab internis partibus natiuo rore madentibus expreſſus, caloris impetu expellitur, quàm virtute medicamentorum ἱδρωτικῶν calidorum & frigidorum elicitur.

EST autem vrina hepatis & lienis excrementum, ex materiâ potulentâ & ſpirituoſâ in venis & arteriis alteratâ, quod partìm ab illis viſceribus reijcitur, partìm à renibus emulgetur: vbi percolatum propriamque formam adeptum, per vreteres ad veſicam deducitur, propterea partium à quibus defluit affectiones certiùs indicat, quàm aliarum, putà thoracis, cerebri morbos, in quibus fallaces ſunt vrinæ vt in febribus malignis, quamuis earum partium impuritates per vias illas publicas traducantur & expurgentur: In quibus calore vel frigore generatur calculus, quem diureticis acrioribus abigere periculoſum, frangere impoſſibile.

VRINA partium internarum affectus oſtendit, ſapore, odore, colore, pondere, & deſtillatione. Suam æger vel alius deguſtet ſi libuerit, vt referat medico quem non decet vrinam ægri delibare nequidem odorari, niſi κοπροφάγον audire velit & cum mundiciei & gratijs ſtudere debeat, αἱ τοῖσι κάμνουσι χάριτες. Nunquam fœda hæc & noxia remedia, hominis vrinam & ſtercus deuorare ſuadebit, quod faciant qui gemmas in ſterquilinijs ſpagyricè quærunt. Color vrinæ honeſtius atque certiùs ſignum eſt, à medico diligenter expendendum, cum ab humorum variâ permiſtione, intercedente calore dependeat, proinde varietatem colorum à diuerſitate ſalis ineptum repetere.

EX PONDERE vrinæ hominis ſani collato cum æquali pondere vrinæ eiuſdem ægrotantis nihil certi depræhendes, quum vrina inchoantibus morbis, modò tenuis & aquea, ac proinde leuior meitur, quando ſubeſt obſtructio. Modò craſſa & turbida, ideoque ponderoſior quum adeſt ſumma humorum perturbatio & confuſio; nec deiectiones quàntitate ſed qualitate & ἀφοείᾳ metiri oportet. Quare nugantur qui ex corporis pondere grauiore aut leuiore, aduerſam valetudinem imminentem ſtaticâ ſuâ medicinâ prænoſcere gloriantur, quum ieiunum corpus, aut exinanitum hæmorrhoidum vel menſtruorum fluore, pōderoſius euadat poteſtque pōdus idem ſeruare totà ſanguinis maſſâ corruptâ, vel alicuius partis actione læſâ; Imò pari pondere permanente perire. Ideóque remediorum iuſta quantitas ex pondere corporis & excrementorum depromi nequit. Ridiculum etiam ex vrinâ deſtillatâ iudicium, quamuis in corpore humano quodlibet membrum ſuum habeat excrementum, toti vrinæ permiſtum; nulla tamen ratio eſt, cur vapores aſcendentes certam cucurbitæ partem ex tuâ deſcriptione ſitu reſpondentem parti affectæ, ſpeciem & naturam affectus referre queant. Nec vrinæ reſolutio in tres ſubſtantias, vaporoſam ſiuè ſulfuream, aquoſam ſiuè mercurialem, terream ſiuè tartaream, ad diagnoſim morborum certius aliquid deſignabit.

QVOD ſi tota conſideretur vrina, certiſſima dabit affectus partiſque affectæ indicia, ſalutis mortiſque præſagia. Obſeruabis verò in vrinâ liquorem, & contentum. In liquore ſubſtantiam, quantitatem, & qualitatem. Contentum eſt quidquid craſſius in vrinâ continetur, quod eſt eſſentiale, illudque triplex, naturâ & ratione loci diſtinctum. Hypoſtaſis Enæorema, & Nebula. Vel accidentale aliundè adueniens; vt arenulæ à venis & renibus prodeuntes, pinguedo, purulentia. Itaque ſi fuerit vrinæ ſubſtantia moderatè craſſa, quantitas mediocris, color ſubruffus, ſapor ſalſus, abſque graueolentia, hypoſtaſis craſſa, æqualis, & alba, enæorema & nebula candida. Talis vrina optima & laudabilis ſanitatem atteſtatur, quæcunque verò ab ea degenerabit, morbum præſentem aut imminentem denuntiabit.

Ergo vrinæ inſpectio, certior quàm pondus, & deſtillatio.

Proponebat Lutetiæ FRANCISCVS MANDAT Turonenſis, anno R. S. H. M.DC.XVII.